

Johann Festing

**Programma, Quo Nobilissimos Jurisprudentiæ Cultores Studiosos ad audiendas
Prælectiones Publicas Et Privatas peramanter invitat**

Rostochii: Literis Richelianis, [1684?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838717501>

Druck Freier  Zugang





Mkl *h*
3190

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838717501/phys_0001

Ar. 16. h.
3190



6

PROGRAMMA,

Quo

Nobilissimos Jurisprudentiæ

Cultores Studiosos

ad

audiendas

PRÆLECTIONES PUBLICAS ET PRIVATAS

peramanter invitatis

JOANNES Festing/
Jur. Doctor & Professor.

Cic. lib. 3. d. orat. c. 6.

Diligentissimè hoc est eis, qui instituunt aliquos atq; erudiunt, videndum, quo sua quem natura maximè ferre videatur. *Id. lib. 1. d. orat. c. 28.* In eo vel maximè probavi summum illum doctorem Alabandensem Apollonium, qui cum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos judicabat, non posse (*nec velle*) oratores evadere, operam ap. sese perdere, dimittebatq; : & ad quamcumq; artem putabat aptum, ad eam impellere atq; hortari solebat.

Rostochii,

Literis RICHELIANIS.



Nobilissimis Præstantissimisque;
Jurisprudentiæ
CULTORIBUS STUDIOISIS

S.



Non una via est, quæ nos ducit Jurisprudentiæ Justinianæ Sectatores. nam, ubi *facili* pede paullulum progressi sumus, bifidam comperimus eam, quæ quidem utraq; tendit ad optatum Themidis Sacrarium; sed impari fortunâ. Altera *regia* est, longa, salebrofa & difficilis; placida magis, quæ ducit *media*, inq; istam mox relabitur, vicino destinatis votis spatio. *Prima* patet facilis per *INSTITUTIONES IMPERIALES*, nisi mala curiositas ad bivia ducat atq; avia: quod *barbari* est *Interpretis*. quandoquidem, si respicimus ad Imperatoris mentem veræq; methodi rationem, fatis mirari non possumus, quare infirmum adhuc Studiosi animum multitudine ac varietate rerum onerare ament, alienarum valdè quæstionum fabri (ut puto) infelicissimi. hi nocent, cum docere volunt, pariuntq; temporis damnum irreparabile. *Regia* juxta Pandectarum seriem postea Studioso

diolo aperitur; eò verò statim flectere, in asperâ viâ laborare existimaverim. Satius est, *mediam* eligere viam, placidam magis: quam commonstrant elegantissimæ *Ludwellii nostri* disputationes. Hic stylum promovet amabilis Auctoris causa. Is verò ad quantum eruditionis & laudis culmen surrexerit, nec ipsa potuit invidia dissimulare. hæc enim quamvis non defuerit venenum spargere; prostrata tamen venerari coacta fuit rarum hoc reipublicæ nostræ literariæ lumen. Scilicet opiniones singulares accusat *Momi* proles; sed genuini juris nescia, exprobrabit ejus imprudentiam ipsa ratio, qui audacter nimis detrahere Auctoris nostri famæ ausus fuerit. In quibusdam (sed pauca sunt) cum ipso ab aliorum unanimi consensu dissentire non lubet; nec tamen laudatissimum juris Commentatorem idcirco reprehendere quisquam sine notâ poterit. Nostra disciplina hactenus eâ gaudet libertate, ut à sectis tutò liceat recedere. Putaverim nihilominus, non esse contemnendam doctoris industriam, si in quæstiones incidens fortè singulares, moneat, *Pacii*q; aut *Brunnemanni* aut *Frantzii* & aliorum amatorum dissensum subinde monstret. id verò omninò decet. Proba doctrina non ab unius pendet Auctoris arbitrio: quin sterile est doctoris studium uno ex libro tantum sapere velle. Sane ex hisce disputationibus *Ludwellianis*, si accesserit brevis quædam titulorum in *Pandectis* expositio, facili negotio præparari poterit animus tam in juris controversiis, quam aliis articulis solidissimis. Tunc denuò per volumina *Digestorum* libero cursu ac felici ad optatum properant finem solertissimi *Themidis* alumni: ubi *Lauterbachius* manum porrigit auxiliatricem, *Codicis*q; & *Novellarum* non modicam miscet partem. Ego verò omnem Vobiscum ire viam decrevi, *Juvenes Nobilissimi*, si meam desideraveritis indu-


industriam. Prior cura erit, juxta veram docendi rationem vobis explanare *Institutiones*, monstrando paragraphorum seriem, vocum rerumq; intellectum; enucleando legum rationes; & si quæ obstare visa fuerint, brevissimè conciliando. Brevitatis studium maximè decet, ubi *Institutiones* sine fuce explicare voluerimus. Equidem ad praxin referenda studia nostra omnia: ergo commodum, jungi *Struvii jurisprudentiam Romano Germanicam forensam* & subnotari, quod in foro & in ipsis rerum nostrarum obtinet argumentis. Initium hujus operæ, quam publicam i. e. Prælectiones publicas esse officii jubet ratio, fiet *AUXILIANTE DEO*, crastino die horaz. pomeridiana, quam extraordinariam eligimus, dein ad horas matutinas regressuri. Cæteroque in aliis quoque inservire mea vult Musa, Jurisprudentiæ Cultores optimi! quapropter aperta semper vobis sunt apud me collegia privata: *Ludwelligium*, lectorium, examinatorium, atq; disputatorium; *Pandectarum*, ex Compendio Lauterbachii non compendio; itemq; *Juris feudalis*. Omnino mea studia explicare volo, quomodo non sint sola philologica; (quin talia fuisse nunquam, patet ex continuis meis Prælectionibus aliisve studiis juridicis quàm manifestissimè) sed præcipuè juris prudentiæ, & vestris quibuscumq; destinata commodis.

V. & F. Dab. è Museo. XIII. Calend. Mart. Ann.

M DC LXXXIV.








Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838717501/phys_0008

Mecklenburg
Vorpommern





the scale towards document

erò statim flectere, in asperâ viâ labora-
Sarius est, *mediam* eligere viam, pla-
a commonstrant elegantissimæ *Ludwel-*
es. Hic stylum promovet amabilis Au-
rò ad quantum eruditionis & laudis cul-
c ipsa potuit invidia dissimulare. hæc
defuerit venenum spargere; prostrata
sta fuit rarum hoc reipublicæ nostræ li-
cilicet opiniones singulares accusat Mo-
ini juris nescia. exprobrabit ejus impru-
qvi audacter nimis detrahere Auctoris
erit. In quibusdam (sed pauca sunt) cum
nimi consensu dissentire non lubet; nec
in juris Commentatorem idcirco repre-
hensivè notâ poterit. Nostra disciplina hæc
ate, ut à sectis tutò liceat recedere. Puta-
non esse contemnendam doctoris in-
ones incidens fortè singulares, moneat,
anni aut Frantzii & aliorum amatorum
constret. id verò omninò decet. Proba-
is pendet Auctoris arbitrio: quin sterile
uno ex libro tantum sapere velle. Sa-
onibus Ludwellianis, si accesserit brevis
in Pandectis expositio, facili negotio
imus tam in juris controversiis, quàm
imis. Tunc denuò per volumina Di-
su ac felici ad optatum properant finem
lis alumni: ubi *Lauserbachius* manum
m, Codicisq; & Novellarum non mo-
n. Ego verò omnem Vobiscum ire
nes Nobilissimi, si meam desideraveritis
indu-

